DE JURE APUD TERENTIUM

DISSERUIT

Paul
P. BARET

DOCTOR IN JURE CIVILI, IN FORO PARISIENSI ADVOCATUS
AD DOCTORIS IN LITTERIS GRADUM PROMOVENDUS

LUTETIÆ PARISIORUM
TYPIS E. DONNAUD
VIA CASSETTE, IX

MDCCCLXXVIII

a-10.430

OCT 31 1883

CARÆ MEMORIÆ

OPTIMORUM QUONDAM PROFESSORUM

HENRICI OUELLARD

ÆMILII VARNIER

GRATUS DICABAM

P. B.

DE JURE APUD TERENTIUM

Quandoquidem a Græcis comœdiarum argumenta ita mutuatus est Terentius, ut etiam græca nomina personæ referant, græco amictu incedant, Athenis versentur, et se cives athenienses esse ostendant ac profiteantur, quæri potest an quæ juris et consuetudinis apud Terentium occurrant, ea græcis legibus et institutis adscribenda sint, quippe quum hæ leges, hæc instituta, aut nullis hominibus aut Græcis demum et in Græcia degentibus sint comparata. Ne cui autem, super comœdiis, ab re videatur alienum de jure disserere, animadvertendum est non modo, multis in locis, juris legumque mentionem habuisse Terentium, sed etiam aliquando eum de jure disputavisse. Etenim, omnia pene quæ ad jus pertinent, in his sex comœdiis aut attinguntur aut explicantur : qui sint manumissionum ritus aut nuptiarum, quæ jura hereditatum, quæ causæ obligationum, quæ forma judiciorum, et alia permulta, quæ si in unum contuleris, efficietur quasi totius juris adumbratio.

Jus autem, ut in scenam libentissime Noster induxit,

sic accurate dictionibus, regulis, exemplis quasi quidam jurisconsultus exsecutus est; unde nobis quoque, hanc materiam more prudentium tractare, facile concedetur. De personis scilicet, de rebus, et de actionibus videbimus. Romana quidem est ista juris distributio, non græca; verum Romanos sequi præstabilius est, utpote melius notos; tum si qua, in Terentii fabulis, cum romani juris regulis consentiant, ea Romanis adscribemus, sin vero discrepent, num Græcis attribuenda sint æstimabimus.

I. — De personis.

Hæc est, ut Gaius ait (1), summa de jure personarum divisio, quod omnes homines aut liberi sunt, aut servi. Rursus liberorum hominum alii cives sunt, alii peregrini. Sæpius quidem de peregrinis apud Terentium agitur quam ut eos silentio prætermittere liceat; sed quum, non nisi circa matrimonium, civitatem aut peregrinitatem commemoret, eum secuti, quando de justis nuptiis, tum et de peregrinis dicemus.

De libertinis. Denique aut ingenui sunt liberi homines, aut libertini, id est e servitute manumissi. Manumittitur in Adelphis servus Micionis his verbis :

> Syre, eho! accede huc ad me; liber esto.
> (V, 9, v. 13.)

quæ manumissio dicitur *inter amicos* fieri : nihil enim

(1) Institutionum lib. I, § 9.

aliud requiritur nisi ut dominus, coram testibus, voluntatem suam declaret ; nec verbis *liber esto*, quæ et apud Plautum reperiuntur (1), uti erat necessarium (2). Hoc autem animadvertendum est, stricto jure non valere Syri manumissionem ; non enim legitime servi manumittebantur nisi vindicta, aut censu, aut testamento. Syrus ergo, privata domini voluntate manumissus, in libertate quidem morabatur, sed jure Quiritium manebat servus (3) ; verumtamen si dominus eum in servitutem retrahere tentaret, interveniret prætor cujus auxilio in libertatis forma servaretur (4). Istæ vero juris argutiæ non ita multo post Terentii mortem cessaverunt ; etenim anno ab Urbe condita sexcentesimo septuagesimo primo, ut opinor, lege Junia Norbana cautum est ut qui servus inter amicos manumitteretur, liber quidem sed latinus fieret (5).

Ex his apparet dominum non posse arbitrio suo servum, quocumque modo manumissum, in servitutem reducere. Errant igitur qui Sosiæ patronum in Andria dixisse volunt.

> Feci ex servo ut esses libertus mihi,
> . . . *haud muto factum* (6).
> (I, 1, v. 10 et 13.)

---

(1) *Epidicus*, V, II, 61 ; *Mœnechmi*, V, VII, 40, et V, IX, 87.

(2) Vide notam 3 infra.

(3) Fragmentum de manumissionibus Cervidio Scævolæ adscriptum, § 5 : « Hi autem qui domini *voluntate* in libertate erant, manebant servi. »

(4) Ibid., et Gaius, *Institut*. III, § 56.

(5) Fragmentum de manumissionibus, § 6.

(6) Cf. *Adelph*. IV, VII, 19 :

> Placet tibi factum, Micio ? — M. Non, si queam mutare.

Nihil enim mutare poterat Simo, etiamsi ingratus esset libertus ejus, nec nisi Commodi imperatoris constitutione provisum est ut qui ingrati circa patronos exstarent in servitutem redigerentur (1). Itaque in illo ultimo versu legendum esse censemus : Haud muto (2) (subaudi : sententiam, animum) id est : Non me pœnitet. Cui respondet Sosia : Factum gaudeo, et reliqua.

Qui e servitute in libertatem datur, *manumitti* dicitur; sed quo facilius, ut videtur, in versu vocabulum hoc includeretur, poetæ quadam licentia, ita in Phormione diductum est :

Curavi propria ea Phædria ut poteretur, nam *emissa est manu.*
(V, 5, v. 2.)

Non enim aliud nisi τμῆσις intelligi potest, quia non e manu, sed e servitute, Phædriæ amica liberata est. Manus autem a servitute longe distat. In manu mulier esse dicitur quum aut anno continuo nupta perseveravit, aut confarreatis nuptiis juncta est viro, aut coemptionem fecit (3). Hic vero, neque nuptias neque uxorem inveni-

---

(1) Modestinus, fr. 6, § 1, Dig., de agnoscendis et alendis liberis, 25, 3 : « Imperatoris Commodi constitutio talis profertur : Cum probatum sit contumeliis patronos a libertis esse violatos, vel illata manu atroci esse pulsatos, aut etiam paupertate vel corporis valetudine laborantes relictos, primum eos in potestatem patronorum redigi, et ministerium dominis præbere cogi. »

(2) Cf. Plaut. *Rudens*, III, 6, v. 26 et 27 :
Equidem tibi me dixeram præsto fore
Apud Veneris fanum : *qui l muto?* sumne ibi?

(3) Gaius, *Institut.* I, §§ 108 et s.

mus, neque coemptionem fiduciæ causa, sed puellulam citharistriam lenoni servientem, quam emit Phormio, suam factam abducit, tum manumittit, ne serva aliena sed concubina libera Phædria potiatur. Verum ne quis existimet ideo *propriam* dici Phædriæ Pamphilam quia ille herus ejus factus sit, *manu* autem *emissam* quia mancipatione de manu et potestate lenonis (1) in alterius dominium transierit, ante omnia commemorare juvat, per extraneam personam nihil acquiri (2) ; quod si Phædriæ puella mancipata esset, hic patri suo acquisivisset.

Est etiam personarum alia divisio : quædam enim sui juris sunt, quædam alieno juri subjectæ, inter quas numerandi sunt servi. Dominis in servos, Terentii quidem tempore, vitæ necisque potestas competebat, multo magis corporis coercitio, ut in Andria hæc Simonis verba testantur : **De servis.**

Verberibus cæsum te, Dave, in pistrinum dedam usque ad necem.
(I, 2, v. 28.)

et ulterius :

Cura adservandum vinctum, ... quadrupedem constringito.
(V, 2, v. 24.)

Itidem servos in quæstionem polliceri dominus poterat, quo jure Bacchis in Hecyra utitur :

Ancillas dedo : quolubet cruciatu per me exquire.
(V, 2, v. 7.)

---

(1) Ulpianus, fr. 4, Dig., de justitia et jure, I, 1 : « Quandiu quis in potestate est, *manui et potestati* suppositus est. »
(2) Gaius, *Institut.* II, § 95.

Non enim, nisi sub imperatoribus, dominorum potestas certis terminis definita est, ne supra modum aut sine causa in servos suos sævirent. Primus constituit Adrianus ne, sine sententia magistratus, capite servi plecterentur (1), et ab Antonino nimia dominorum asperitas cohibita est, proviso ut si intolerabilis videretur sævitia, cogerentur servos suos vendere (2). Superioribus vero temporibus, duo tantum præscripta erant; Claudii scilicet edicto : ut qui servus a domino ob gravem infirmitatem relinqueretur, is liber ipso jure fieret (3); et lege Petronia, sub Augusti forsan principatu : ne sponte sua dominus servum ad bestias depugnandas condemnaret (4). Integra igitur atque illibata erat, Terentii tempore, domini potestas, neque eum majora vero comice finxisse putandum est, sed quale reipsa esset jus expressisse.

De filiisfamiliarum.

Ut in potestate dominorum sunt servi, ita in potestate patria sunt filiifamilias. Sæpius quidem apud Nostrum patresfamilias a filio ludificatos, quam in filium jure suo usos invenire est; nam leni plerumque sunt ingenio, ut quidam fatetur : « Ego sum animo leni natus, — Non possum advorsari meis (5); » duo tamen, ex hac potestate

(1) Spartianus, cap. xviii.

(2) Fr. 2, Dig., de his qui sui vel alieni juris sunt, 1, 6.

(3) Modestinus, fr. 2, Dig., qui sine manumissione, 40, 8.

(4) Modestinus, fr. 11, § 2, Dig., ad legem Corneliam de sicariis, 48, 8.

(5) *Hecyra*, II, 2, v. 23 et 29; cf. v. 1-3 :

Etsi scio ego, Philumena, meum jus esse, ut te cogam
Quæ ego imperem facere : ego tamen patrio animo victus faciam
Ut tibi concedam, neque tuæ libidini adversabor.

consequentia, obiter attinguntur; quorum unum : non validas esse nuptias nisi patris consensus intervenerit, quum de justis nuptiis videbimus, pluribus amplificabitur ; alterum vero tale est : patrifamilias licere quod ex uxore sua natum sit aut tollere aut exponere. Sic enim narrat Sostrata marito suo :

Meministin'me esse gravidam, et mihi te maxumo opere edicere,
Si puellam parerem nolle tolli?
(*Heaut.*, IV, 1, v. 13 et 14.)

Cui maritus :

. . . . . Si meum
Imperium exsequi voluisses, *interemptam oportuit.*
(v. 21 et 22.)

Jus quippe filium occidendi patri competere nemo est qui nesciat (1): nec nisi ab Adriano imperatore in patrem quemdam animadversum est (2), et a Constantino, anno Christi trecentesimo decimo nono, generaliter constitutum ut qui filium suum occidisset parricidii pœnam subiret (3). Idem tamen imperator parentes propter nimiam paupertatem, victus causa, filium filiamve sanguinolentos, id est recentes a partu, vendere permisit (4).

Quod si filiofamilias uxor pepererit, pater cujus ille

---

(1) Cicero, *Pro Domo*, § 29 : ... « ut in te P. Fonteius vitæ necisque potestatem haberet, ut in filio. »

(2) Marcianus, fr. 5, Dig., de lege Pompeia de parricidiis, 48, 9 : « Divus Hadrianus fertur, cum in venatione filium suum quidam necaverat, qui novercam adulterabat, in insulam eum deportasse. »

(3) L. un. Cod., de his qui liberos vel parentes occidunt, 9, 17.

(4) L. un. Cod. Th., de his qui sanguinolentos, 5, 8.

in potestate est jus habet tollendi puerum aut exponendi ; etenim in potestate avi et filius et nepos constituuntur. Quare, in Andria, ut intellexit Simo Pamphilum suum decrevisse e Glycerio natum puerum tollere (1), exclamat :

> Domus, uxor, *liberi inventi invito patre!*
> (V, 3, v. 20)

Quem autem invito patre non jure sustulit filius, utpote alieni juris, invito filio sine injuria exstingueret paterfamilias; nam, et eo reluctante, puerum tollere poterat; quod ita esse Pamphilus ille alter in Hecyra ostendit, dum metuit ne pater jure suo utatur :

> . . . Puerum *injussu* credo non tollet *meo.*
> (IV, 4, v 82.)

Credit scilicet atque optat, nec aliud est quod faciat; mox enim avus puerum sibi vindicat :

> Puerum, Phidippe, mihi cedo, *ego alam.*
> (*Ibid.*, v. 84).

Neque vero Phidippus puerum retinere posset, etsi natura est avus et, non immerito, senem affinem suum ita alloquitur :

> Natus est *nobis* nepos.
> (*Ibid.*, v. 17.)

nam in eo qui ex filia natus est, patria potestas, jure

---

(1) MYSIS : . . . Quod peperisset jussit tolli. (III, 1, v. 6.)

romano, nulla erat. Neque filius, invito patre, exstinguere eum posset qui secum in eadem potestate versatur.

Nullus autem patrifamilias, ad tollendum puerum, voluntatem declarandi ritus constituebatur ; quæ solebant fieri, puerum scilicet ante fores ponere et reliqua, moris erant, sed qui nihil haberet necessarii neque pro lege custodiretur.

Etsi quælibet sui juris mulier, sive nubilis est, sive non nubilis, dummodo recte morata, materfamilias jure appellatur (1), tamen nunquam feminarum est patria potestas, unde optime Terentius dixit adolescentulam ***sub imperio*** esse matris :

> . . . Mater, cujus sub imperio est, mala.
> (*Heaut.*, II, 2, v. 4.)

Potestas enim juris civilis est vocabulum ; imperium autem sensu latius patet, quod in Adelphis videas :

> . . . Errat longe, mea quidem sententia,
> Qui *imperium* credat gravius esse aut stabilius,
> Vi quod fit, quam illud quod amicitia adjungitur.
> (I, 1, v. 40-42.)

Sunt patriæ potestatis duo præcipui fontes : matrimonium scilicet et adoptio. **De nuptiis.** Quum autem nihil apud Nostrum frequentius sit quam nuptiarum mentio, operæ pretium est ante omnia quærere quid sint nuptiæ, quid necessarium sit ut constituantur, quid vero exter-

---

(1) Ulpianus, fr. 4, Dig., de his qui sui vel alieni juris sunt, 1, 6; et fr. 46, § 1, de verborum significatione, 50, 16.

num atque adventicium. Matrimonium sive justæ nuptiæ sunt, quum vir et mulier vitam, ut maritus et uxor, una degendi voluntatem habent, et quocumque modo re significant. Quod vero apud nos celebrari nuptias dicitur, hoc Romanis, quod ad jus attinet, plane insuetum erat et inauditum, quia videlicet nec forma legitima nec pompa aut celebritas ulla nuptiarum, neque personæ publicæ interventus aut ullius instrumenti confectio jure requirebatur. Non enim divina res est matrimonium, sed civilis et domestica; non publici juris, sed privati; etsi sacra faciebant (1), auguria capiebant, et deos precabantur (2), etsi cum tædis et cantibus pompa ducebatur, sponsa aqua et igni accipiebatur et flammeo caput obnubebat, ad consuetudinem majorum, non ad præcepta legum, ista omnia agebantur.

Sæpissime in Terentii fabulis deductio in domum mariti commemoratur (3), nec immerito, namque deductione plerumque declaratur viri mulierisque voluntas matrimonium contrahendi, et marito consuetudinis vitæ facultas datur. Quare a deductione plerumque initium

---

(1) Cf. *Phormio*, IV, 4, v. 21.

(2) Abi domum, ac deos comprecare, ut uxorem accersas.
(*Adelphi*, IV, 5, v. 65.)

(3) Dotem si accipiet, uxor ducenda est domum.
(*Phorm.*, IV, 4, v. 12.)
Fidem dans, jurans, se illam ducturum domum.
(*Ad.*, III, 4, v. 26.)
Nunquam illa viva ducturum uxorem domum.
(*Hec.*, I, 1, v. 5.)
Antequam eam uxorem duxisset domum.
(*Ibid.*, 2, v. 71.)
aliis locis.

capit matrimonium. Verumtamen et sine deductione fieri possunt justæ nuptiæ, aut etiam in certum tempus post deductionem promoveri (1).

Nuptias tamen non solus consensus facit : femina enim absens nubere non potest (2); sed nec concubitu constituuntur : etenim bonæ sunt Pamphili nuptiæ, quanquam uxorem non attigit (3). Justæ scilicet nuptiæ sunt consuetudo vitæ quæ tunc demum incipit quando mulier ibi est ubi eam esse maritus voluit. Hæc igitur vocabula ***ducere uxorem*** et ***nubere***, non aliquid quod matrimonio necessarium sit, sed tantummodo morem quemdam atque usum ostendere manifestum est.

Hactenus de natura et forma nuptiarum.

Fieri autem poterat ut ante matrimonium intercederent sponsalia, id est stipulatio et promissio futurarum nuptiarum; quæ quomodo contraherentur tradit Servius Sulpicius apud Aulum Gellium his verbis : « Qui uxorem ducturus erat, ab eo unde ducenda erat stipulabatur eam in matrimonium ductum iri. Qui daturus erat itidem spondebat daturum. Is contractus stipulationum sponsionumque dicebatur sponsalia (4). » Priscis igitur (De sponsalibus.)

(1) Scævola, fr. 66, Dig., de donationibus inter virum et uxorem, 24, 1.

(2) Paulus, *Sentent.* II, 19, § 8.

(3) Ut ad pauca redeam, uxorem deducit domum.
Nocte illa prima virginem non attigit :
Quæ consecuta est nox eam, nihilo magis.
... Diebus sane pauculis
Post, Pamphilus me solum seducit foras,
Narratque ut virgo ab se integra etiam tum siet.
(*Hec.*, I, 2, v. 60 et s.)

(4) *Noctes atticæ*, IV, 4.

temporibus adhibebatur forma stipulationis, ut in Plauti Curculione videre est (1) et Ulpianus testatur (2), ob eamque causam distinguebatur sperata, pacta, et sponsa. Terentii autem tempore obtinebat adhuc antiquus sponsaliorum ritus, quod ex hoc versu conjicere licet :

> . . . Quantum ab hac accipio quæ *sponsa est* mihi;
> (*Phorm.*, IV, 3, v. 52.)

nec prius in usu esse desiit, ut idem Servius notat, quam quum, lege Julia, Latini civitate donati sunt, anno scilicet post Urbem conditam sexcentesimo sexagesimo quarto; hinc jam ad constituenda sponsalia nudus consensus sufficit (3).

Non filia tantum familias desponderi potest, sed etiam filius, unde sponsi appellatio nata est. Itaque in Andria liberto suo narrat senex se filium suum Chremetis filiæ maritum despondisse :

> Placuit, *despondi* : hic nuptiis dictus est dies.
> (I, 1, v. 75.)

Pamphilum autem consentire oportet, namque filiofamilias dissentiente sponsalia nomine ejus fieri non possunt (4). Idem et de filia dicendum est. Sed quum

---

(1) Spondesne, miles, mihi hanc uxorem? — Spondeo. (V, 2, v. 74.) Cf. *Aulularia*, II, 2, v. 77 et 78.

(2) « Sponsalia dicta sunt a spondendo, nam moris fuit veteribus stipulari et spondere sibi uxores futuras. » Fr. 2, Dig., de sponsalibus, 23, 1.

(3) Ulpianus fr., 4, Dig., ibid.

(4) Paulus, fr. 4, § 1, Dig., ibid.

sufficiat eos quod a patre gestum sit posthac ratum habuisse (nam et absenti absentem despondere licet) (1), Pamphilum, quamvis invitum, consensisse manifestum est, nam ipse dicit :

> *Facta, transacta omnia.* Hem,
> Repudiatus repetor.
>
> (I, 5, v. 13 et 14.)

Neque enim necesse foret repudium intervenire nisi sponsalia facta fuissent.

Sponsalibus autem factis, ut discutiantur, nuncium remitti placuit, quod a Phormione se impetraturos senes arbitrantur :

> . . . . Illis *repudium renuntiet*,
> Hanc ducat.
>
> (*Phorm.*, IV, 3, v. 72 et 73.)

Quæ tamen in Andria Pamphilum inter et Glycerium sponsalia esse putantur, ea non sunt valida, namque inventus est pater virginis, cujus, ut in matrimonio, sic in sponsalibus consensus exigitur; et ea causa est cur eatur in domum Glycerii, ut nova sponsalia fiant, quod nos monet Davus :

> Ne expectetis dum exeant huc : intus *despondebitur*.
>
> (*Andr.*, V, 6, v. 16.)

Non enim nuptiæ, sed sponsalia apud Glycerium transigentur. Nihil quidem obstaret quin apud eam et nuptiæ

(1) Ulpianus, fr. 4, § 1, Dig., de sponsalibus, 23, 1.

fierent, namque ibi consuetudo vitæ initium potest habere; sed alia mens est Pamphili, mulierem nempe apud Simonem transferri jubet :

> Tu, Dave, abi domum,
> Propera, accerse hinc qui auferant eam.
> (V, 6, v. 14 et 15.)

et modo idem dixerat :

> Nec ulla mora est quin eam uxorem *ducam.*
> (*Ibid.*, v. 7.)

Hoc demum temporis puncto nuptiæ fient, quum sponsa in domum Simonis deducetur. Nonne ergo Pamphilum Davumque jurisconsultos crederes, qui ea prudentia, eo veritatis studio acutissima quæque pertractant, ut ne levissimus quidem juris error in eorum factis aut dictis deprehendi possit?

Sed, ut ista omnia paucis contrahamus, quæ in nuptiis fieri solebant in his Adelphorum verbis contineri videntur :

> . . . Quis *despondit?* quis *dedit?*
> Cui quando *nupsit?* . . . . .
> Cur *duxit* alienam?
> (IV, 5, v. 36 et s.)

Unumquodque suo ordine collocatum est, ut alio quoque loco :

> Ego, cui *daturus* non sum, ut ei *despondeam* (1)?
> (*Heaut.*, IV, 5, v. 36)

(1) Cf Plaut., *Aulul.* II, 3, v, 4 :
Filiam *despondi* ego, hodie *nuptum* huic Megadoro *dabo.*

Quod si præpostere dictum videatur in hoc versu :

> At ego illi neque *do*, neque *despondeo*.
> (*Heaut.*,IV, 5, v. 31.)

sic tamen intelligi potest : non modo non do, sed ne despondeo quidem.

Superest ut dispiciamus num Terentio jure scribere licuerit :

> Despondit ei (senex) gnatam hujus vicini proxumi.
> (*Hec.*, I, 2, v. 4 .)

Vicinum enim spondendo non potuit obligare, sed neque filio utiliter spondere, in sua scilicet potestate constituto (1) ; quod si eum pro filio stipulatum esse accipias, nihil egit, namque alteri stipulari nemo potest (2). — At pater filio utiliter stipulatur. — Nempe hoc in his verum est quæ patri acquiri possunt (3). — Ita ergo interpretandum est : « tundendo atque odio » patrem effecisse ut filius a vicino stipularetur virginem sibi uxorem futuram, atque inde ut virgo ei desponderetur ; quod vero filium fecisse ex ipsis ejus verbis apparet : « Quid ego egi ? In quod me conjeci malum ? » (Ibid. v. 57.) Sane uno casu, ut apud Ciceronem hæc invenimus : « sibi Cæsaris hortos *desponderat* (4), » sic apud Nostrum, in Adelphis, qui filio suo virginem quamdam uxorem fore,

---

(1) Justiniani institut III, de inutilibus stipulationibus, tit. 19, § 6. « Inutilis est stipulatio, si ab eo stipuleris qui tuo juri subjectus est, *vel is a te stipuletur*. »

(2) Ulpianus, fr. 38, § 1, Dig., de verborum obligationibus, 45, 1.

(3) Paulus, fr. 130, Dig., ibid.

(4) Epistolæ ad Atticum, IX, 6, in fine.

quantum potuit, promisit, per abusionem eam dicit se *despondisse* (1); verum, in ea causa de qua dubitavimus, non promisisse senem narratur, sed instantia filio uxorem obtrusisse.

(De consensu.) Contrahi autem nuptiæ non possunt nisi consentiant ii qui coeunt; sed etsi non cogitur filiusfamilias uxorem ducere, qui, patre cogente, ducit uxorem quam non duceret si sui arbitrii esset, contraxit tamen matrimonium, quia maluisse hoc videtur. Talis est enim prudentium sententia (2). Quare validæ sunt inter Pamphilum vicinique filiam nuptiæ,

(ille *invitus* illam duxerat,) *Hec.*, I, 2, v. 67.

neque ipse contendit quin fuerint bonæ, quibus, invitus licet, consensit; ut ipse fatetur:

Tamen *nunquam ausus sum recusare* eam, quam mi obtrudit pater,
(*Hec.*, III, 1, v. 12.)

Imo vero, nisi consentiant omnes, id est non modo qui junguntur, sed etiam ii quorum in potestate sunt, nuptiæ non possunt consistere (3). Quod in Andria apparet; quum enim audivit senex filium suum uxoris prope loco Glycerium habere, sic erumpit:

Adeo impotenti esse animo, ut præter civium
Morem atque legem, *et sui voluntatem patris*,
Tamen hanc habere studeat cum summo probro!
(V, 3, v. 8-10)

(1) . . . . . Virginem
Despondi, res composita est, fiunt nuptiæ.
(IV, 7, v. 16 et 17.)

(2) Celsus, fr. 22, Dig., de ritu nuptiarum, 23, 2.

(3) Paulus, fr. 2, Dig., ibid.

Verumtamen lege Atheniensium (nunc demum ad jus (De stupro.) græcum pervenimus) patris non requiritur consensus ubi stuprata est a filiofamilias civis atheniensis : cogitur enim ille eam ducere. Hoc autem juri romano plane alienum est, quo stupratori pœna tantum irrogatur (1). Quum ergo Pamphilus civem vitiavisse dicatur,

Coactus legibus
Eam uxorem ducet.
(*Andr.*, IV, 4, v. 41-42.)

Idque non Davus modo explorati juris esse declarat, sed et ipse pater agnoscit his verbis :

Adducti qui illam civem hinc dicant, *viceris* (2).
(V, 3, v. 21.)

Quod vero in Adelphis invenimus :

. . . Peccatum in virginem est civem...
. . . Et *ducenda indotata est,*
(IV, 7, v. 7 et 11.)

hoc non significat stupratorem dotem accipere non posse, sed, quamvis hoc loco virgo dotem non habeat, illum tamen eam ut ducat cogi.

Operæ pretium est hic animadvertere, apud Romanos, Terentii ætate, jus non competere filiæfamilias patrem ad

---

(1) « Lege Julia etiam stupri flagitium punitur, quum quis sine vi vel virginem vel viduam honeste viventem stupraverit. » Justiniani Institutionum lib. IV, tit. 18, de publicis judiciis, § 4.

(2) Cf. Plaut., *Aulul.* IV, 10, v. 63 :
Mihi ignoscas, eamque uxorem mihi des, ut leges jubent.

dotem dandam compellendi. Filiæ quidem plerumque mores subveniebant, ita ut non auderent iis patres adversari; quod ille pater, Ἑαυτοντιμορουμένου vicinus, testatur :

> Quam multa injusta ac prava fiunt *moribus!*
> Mihi nunc, relictis rebus, inveniundus est
> Aliquis, labore inventa mea cui dem bona.
> (IV, 7, v. 11 et s.)

Sed quanquam jus civile non solum legibus, senatusconsultis, prudentium auctoritate, verum etiam inveterata consuetudine fit (1), quo casu moribus constitutum dicitur, tamen non nisi Severi et Antonini constitutione introductum est ut qui filiam in potestate haberet, eam dotare per magistratus cogeretur (2).

Quod si patris consensum intervenire necesse est ut validæ sint nuptiæ, non ideo, absente patre nuptias omnino non posse contrahi, putandum est. Cum ironia quidem dicit pater in Phormione :

> Bonas, *me absente*, hic confecistis nuptias!
> (II, 1, v. 28.)

Non enim diuturna fuerat ejus absentia. Finge autem eum ab hostibus captum, aut absentem ita ut ignoretur ubi sit et an sit, legitimas nuptias contrahere filius non prohibebitur (3).

---

(1) Julianus, fr. 32, § 1, Dig., de legibus senatusque consultis et longa consuetudine, 1, 3. — Hermogenianus, fr. 35, ibid.
(2) Marcianus, fr. 19, Dig., de ritu nuptiarum, 23, 2.
(3) Ulpianus, fr. 9, § 1, et Paulus, fr. 10, ibid.

Non juris gentium sunt justæ nuptiæ, verum juris civilis ; non potest igitur civis romanus peregrinam ducere, neque enim inter eos connubium est (1). Quare stomachatur senex, in Andria, filium suum pro uxore peregrinam habere, (De peregrinis.

. . . . . Præter civium
Morem atque legem,
(V, 3, v. 9.)

imo puerum ex ea natum tollere decrevisse :

Adeone est demens? *Ex peregrina?*
(III, 1, v. 11.)

Etenim non modo necesse est, ut diximus, patris voluntatem intervenire ut filiusfamilias puerum ex justis nuptiis natum possit tollere, sed ne nuptias quidem hic invenimus, nec puero certus pater est : namque, ante Augusti saltem principatum, jure nulla alia inter virum et mulierem conjunctio probatur nisi justum matrimonium (2). Ergo puer e Glycerio natus matris conditioni accedit, et peregrinum Pamphilus tollere parat, quæ summa dementia videtur.

Ne quis autem existimet a jure romano abhorrere quod in eadem fabula legitur :

. . . . . Pamphilum
Pro uxore habere hanc peregrinam;
(*Andr.*, I, 1, v. 118 et 119.)

---

(1) « Connubium est uxoris jure ducendæ facultas. » Ulpiani fragmenta, V, § 3; cf. §§ 2 et 4.
(2) Marcianus, fr. 3, § 1, Dig., de concubinis, 25, 7.

sic enim intelligendum est : amicam habere eum « prope jam in uxoris loco », ut alias pater delitigans exprobrat adolescentulo (1). Quod si Davus, juris, ut diximus, peritissimus, ita distinguit :

. . . . Hæc Andria,
Sive ista *uxor*, sive *amica* est, ...
(*Andr.*, I, 3, v. 10 et 11.)

non ideo legitimas nuptias cum peregrina quandoque contrahi posse significat, ita ut hoc loco ambigatur utrum concubinatus sit an matrimonium, verum ea verba sequentibus illustrantur :

Fingunt. . . . . .
Civem atticam esse hanc.
(*Ibid.*, v. 15 et 16.)

Jam enim, modo vera prædicent, uxor erit Glycerium, falso Andria credita, namque eam pro uxore Pamphilus habet, nec pater ut consentiat necesse est, quoniam, sicut vidimus, lege Atheniensium cautum erat ut qui civem vitiavisset eam ducere cogeretur. Age non sit inventa civis, ergo non uxor sed amica tantum erit dicenda.

Multo minus ex hoc quod narravit Pamphilus :

Hanc mi *in manum* dat.
(*Andr.*, I, 5, v. 62.)

cum Donato (2) concludere licet Glycerium Pamphilo in

(1) *Heaut.*, I, 1, v. 50 et s.:
. . . . . Hæc diutius
Licere speras facere, me vivo patre,
Amicam ut habeas prope jam in uxoris loco?
(2) Commentarium in *Andriam*.

manum convenisse. Nam si contra morem atque legem habetur cum peregrina matrimonium contrahere, non uxor est Andria, nec in mariti manum potuit convenire. Præterea non datur marito manus : consequitur autem ille eam usu, farreo, aut coemptione (1). Quare hic locus ita accipiendus est : Glycerii dextram in meam dat, quasi fidei meæ puellam commendatura. Nec quidquam juris hic agitur, verum fidei atque amicitiæ.

Unam adhuc juris græci regulam offendimus, de stupratore videlicet ad nuptias compellendo ; aliam in Phormione reperire est his conceptam : De græca quadam lege.

Lex est ut orbæ, qui sunt genere proxumi,
Iis nubant, et illos ducere eadem hæc lex jubet.
(I, 2, v. 75 et 76.)

Cui legi consentaneum est quod in Adelphis Æschino filio narrat senex :

Hæc virgo orba est patre,
Hic meus amicus illi genere est proxumus :
Huic leges cogunt nubere hanc.
(IV, 5, v. 14 et s.)

Itaque si cui alii hæc virgo nupsisset, alterius matrimonio debitam ille duxisse non immerito argueretur ; unde in simili causa, de qua disserere longum est, non ineleganter, imo summa brevitate ausus est dicere Terentius :

Cur duxit *alienam*?
(*Adelph.*, IV, 5, v. 38.)

---

(1) Gaius, *Institut.* I, § 110 et seq.

Si quis autem virginem ducere aut non posset aut non vellet, dotem dare cogebatur. Quocirca Demipho publico jure se uti, nec quidquam iniquum postulare putat, quum Phormioni pecuniam offert :

> Potiusquam lites secter aut quam te audiam,
> Itidem ut cognata si sit, *id quod lex jubet*
> *Dotem dare*, abduce hanc : minas quinque accipe (1).
> (*Phorm.*, II, 3, v. 61 et s.)

Sed ut legis verba senex objicit, sic Phormio voluntatem ac sententiam interpretatur :

> . . . Ut ne quid turpe civis in se admitteret,
> Propter egestatem (2), *proxumo jussa est dari*,
> Ut cum uno ætatem degeret. . . .
> (*Ibid.*, v. 68.)

nec posse cognatum existimat, virginem ubi abusus sit, mercedem ei dare atque amittere. Verumtamen ætas lege præstituta fuisse videtur, qua præterita non jam ad matrimonium cognatus compelleretur ; id certe contendit Phormio :

> . . . . Tua
> Præterierat jam ad ducendum ætas.
> (II, 3, v. 76.)

quo casu vinculum obligationis alius quidam suscipiebat.

(De justo filio.) Jure romano constat patrem eum esse quem justæ nuptiæ demonstrant (3) ; quare, in Hecyra, personarum

(1) Adde *Phorm.*, II, 1, v. 66 et 67 :
..... Id quod lex jubet,
Dotem daretis ; quæreret alium virum.

(2) Cf. Fustel de Coulanges, *la Cité antique*, part. II, cap. vi, 2.

(3) Paulus, fr. 5, Dig., de in jus vocando, 2, 4.

nemo est quin e Pamphilo, quod uxor ejus peperit, recte natum arbitretur. Etenim jam septimus mensis agebatur postquam Philumena ad eum venerat; prudentium autem sententia probatur, eum qui septimo mense natus sit justum filium esse (1). Sed etsi cum ea Pamphilus duobus tantum post mensibus concubuerat, nulla tamen erat legitima causa cur puerum non agnosceret. Itaque non injuria pater ejus ei gratulatur natum esse filium :

Hunc videre sæpe optabamus diem,
Quum *ex te esset aliquis*, qui te appellaret patrem;
Evenit : habeo gratiam dis. . . .
(*Hec.*, IV, 4, v. 29-31.)

tum vero puerum, nepotem suum, Pamphilo reddi postulat et apud se transferri :

. . . . . Huic *suum* reddas scilicet,
Ut alamus nostrum.
(*Ibid.*, v. 47 et 48.)

Nostrum quidem optimo jure dicere potuit, nam ut puero præsumptione quadam pater naturalis est Pamphilus, sic ei Laches paterfamilias est, quippe qui potestatem habeat.

Servorum autem conjunctiones nequaquam justum (De contubernio.) habebantur matrimonium, quibus contubernii appellatio indita est; facete igitur atque gloriose Syrus, modo libertate donatus, servam adhuc Phrygiam uxoris nomine ornare gaudet :

Phrygiam . . . *uxorem meam.*
(*Adelph.*, V, 9, v. 16.)

---

(1) Paulus, fr. 12, Dig., de statu hominum, 1, 5.

Uxor enim nisi in matrimonio nulla est, neque in concubinatu uxorem, vel injustam, sed concubinam sive amicam invenias. Quod autem Plautus in Græcia et Carthagine serviles nuptias fieri contendit (1), id adeo punica et græca fide judicibus confirmandum relinquit.

De affinitate. Inter eas necessitates quæ justis e nuptiis originem ducunt, annumeranda est affinitas, quam si recte definire velis, vinculum esse dices inter virum aut uxorem et conjugis alterius cognatos, matrimonio creatum. Soceri nempe gener affinis est, unde Pamphilus :

> Nullon'ego Chremetis pacto *adfinitatem* effugere potero?
> (*Andr.*, I, 5, v. 12.)

Ista autem appellatio aliquando latius extenditur, dum necessitudinem significat qua cognationi uxoris cognatio mariti copulatur. Cujus rei nonnulla exempla apud Nostrum videre est; sive, in Hecyra, patrumfamilias unus alteri sic pollicetur :

> Jamdudum dixi, idemque nunc dico, Lache,
> Manere *adfinitatem* hanc inter nos volo ;
> (IV, 4, v. 100 et 101.)

sive, in Heautontimorumeno, pro filia sua generum sic accipit :

> . . . . Immo et gener et *adfines* placent.
> (V, 1, v. 63.)

(1) *Casina*. prolog., v. 68 et s. :
« Quæso, hercle, quid istuc est? serviles nuptiæ?
« Servine uxorem ducent, aut poscent sibi?
« Novum attulerunt quod fit nusquam gentium. »
At ego aio hoc fieri in Græcia et Carthagini...

Nec non et abusive Parmenoni servo talibus uti contingit, finge quo vultu :

> Ab *nostro adfine* exeuntem video. . . . .
> (*Hec.*, V, 3, v. 8.)

Herum, mehercule ! diceres.

Affinitas autem, vel quum recta verbi notione dicitur, simul cum matrimonio cessat quocum nata est (1), eaque causa est cur dum veretur ut firmæ sint filiæ nuptiæ, genero suo Phidippus ita suam voluntatem profiteatur :

> Ego, Pamphile, esse inter nos, si fieri potest,
> *Adfinitatem* hanc sane perpetuam volo.
> (*Hec.*, IV, 4, v. 13-14.)

Tractu enim pari cum justis nuptiis affinitas perseverabit aut exstinguetur.

Solvitur matrimonium, utputa divortio, seu alter alteri repudium dicat, quo nihil frequentius, extremis romanæ reipublicæ temporibus, seu bona gratia discedant. Alterutrum, in Andria, Simo prævidet : De divortio.

> Si eveniat, quod di prohibeant, *discessio* (2).
> (III, 3, v. 36.)

Ante legem Juliam et Papiam Poppæam, nulla ad divortium requirebatur solemnitas, sufficiebat autem qualiscumque renunciatio voluntatis, nam M. Tullius Terentiam litteris ad eam missis repudiavit.

---

(1) Ulpianus, fr. 3, § 1, Dig., de postulando, 3, 1.
(2) Cf. *Hec.*, I, 2, v. 26 : ... Firmæ hæc vereor ut sint nuptiæ.

Divortio autem facto, mulieri dos erat reddenda ; quod in Hecyra postulat senex :

> Si est ut velit reducere uxorem, licet;
> Sin alio est animo, *renumeret dotem* huc, eat.
> (III, 5, v. 51-52.)

Optimo quidem jure totam dotem Phidippus repetit : nam, si mulieris culpa factum esset divortium, retentioni sextæ partis locus esset, quæ dicitur *propter liberos* (1) fieri ; quum vero Pamphili culpa evenerit, quod sine causa legitima nolit uxorem reducere, dotem integram renumerari nec quidquam pro liberis remanere oportet, quod et Cicero in Topicis (2) declarat. Sed, etsi aliter sensit Donatus, non sine ira pater præsentem dotem postulat, quæ annua, bima, trima die debetur : nam propter graviores tantum mariti mores, id est adulteria, dos statim solvi debet, propter minores, senum mensium die (3). Quo melius apparet quid senis alterius verba valeant :

« Ecce autem tu quoque proterve iracundus es ! » (v. 53.)

'e adoptione. Non ille tantum in potestate est qui ex justis nuptiis procreatur, verum etiam is qui adoptione in locum filii vel nepotis adciscitur. Adoptionis autem genera sunt duo : aut enim populi auctoritate *adrogantur*, qui sui juris sunt ; aut magistratus imperio *adoptantur*, qui in potestate

(1) Ulpiani fragm. tit. VI, de dotibus, § 10.

(2) Cap. IV : « Si viri culpa factum est divortium, etsi mulier nuntium remisit, tamen pro liberis manere nihil oportet. »

(3) Ulpiani fragm., loc. cit., §§ 8 et 13.

parentum sunt. Merito igitur Hegio de filiofamilias dicit :

> Major filius tuus Æschinus,
> Quem fratri *adoptandum* dedisti. . . . . .
> (*Ad.*, III, 4, v. 16 et 17.)

Is qui adoptatur, ita in familiam ejus inducitur, cui in adoptionem datus est, cujusque in potestate constituitur, quasi ex ejus matrimonio natus foret ; imo in sacra transibat, quæ causa plerumque adoptionis erat, ut sacra privata perpetuarentur ; pater autem naturalis potestatem amittebat, ut vix adoptatus nominis ejus aliquid retineret ; quæ omnia summa vi Micio exprimit :

> Tuum filium *dedisti adoptandum* mihi :
> Is *meus est factus* (1).
> (*Ad.*, I, 2, v. 34 et 35).

II. — De rebus.

De personis, Terentio duce, multa vidimus ; nunc de rebus agendum est, quibus modis a personis comparentur. Per universitatem autem res acquiruntur, utputa jure hereditatis. Verumtamen qui sui heredes vocantur, jam, vivo patre, « quodammodo domini existimantur » (2); De jure hereditatis.

---

(1) Addo v. 35-37, 47, et 48 : Si quid peccat, Demea, . . .
Mihi peccat...
Obsonat, potat, olet unguenta, de meo.
. . . Si pergis, abiero. . .
. . . An ego totiens de eadem re audiam?
Cf. Modestinus, fr. 1, Dig., de adoptionibus, 1, 7 : « Filiosfamilias non solum natura, verum et adoptiones faciunt. »

(2) Paulus, fr. 11, Dig., de liberis et posthumis, 28, 2.

unde fit ut Menedemus hæc, notatione apprime digna, usurpaverit :

. . . . . *Meus particeps,*
(*Heaut.*, I, 1, v. 98.)

ut filium significaret. Sui enim heredes, id est liberi defuncti qui, delatæ hereditatis tempore, primum in ejus familia gradum obtinebant, magis conservare quod suum est quam acquirere videntur, ideoque sunt heredes necessarii (1). Quum autem a lege XII Tabularum ita provisum sit : « Si intestato moritur *cui suus heres nec escit*, agnatus proxumus familiam habeto », nihil verius est nec juris subtilitati congruentius quam quod Noster intelligi voluit : Cliniam, in potestate patris constitutum, familiæ potius esse participem quam futurum heredem.

De contractibus. Obligationes e contractibus plerumque consequimur ; contrahuntur autem quatuor modis : re, aut verbis, aut (De mutuo et pignore.) litteris, aut consensu. Mutui atque, ut videtur, pignoris, quæ obligationes re contrahi dicuntur, in Heautontimorumeno mentio est. Syrus enim narrat anum Corinthiam a meretrice mille drachmas esse mutuatam :

. . . Huic drachumarum argenti hæc mille dederat *mutuum* ;
(III, 3, v. 40.)

deinde, ea mortua, filiam ejus meretrici pignoris loco remansisse :

Ea relicta huic *arrhaboni* est pro illo argento.
(v. 42.)

---

(1) Justiniani institut. II, tit. 19, de heredum qualitate et differentia, § 2.

Etsi pro *arrhaboni*, optimorum quidem jurisconsultorum ætate, *pignori* sæpius dici solebat, et ipse Terentius alio loco (1) verbum oppignerare, cui pignus inest, adhibuit, tamen græcam vocem, ut nos Aulus Gellius monet (2), reipublicæ tempore Romani vulgo usurpaverant, quæ postea apud eos in usu esse desiit. Si paterfamilias pro arrhabone filiam suam contracta fiducia mancipavisset, id est ita alienasset ut, soluta pecunia, adolescentula ipsi remanciparetur (3), nihil hic insolitum aut mirabile foret; qui enim in potestate parentis sunt liberi, ab hoc eodem modo quo servi mancipari possunt (4). Ista mancipatione virgo in mancipio meretricis fuisset. Terentii autem tempore mancipium inter et servitutem fere nihil intererat. Quem enim pater mancipavit, ei exæquat Cicero qui a populo venditus est quum miles factus non sit aut quum censeri noluerit (5) ; et Festus eodem loco eos habet qui ex patris jure exierunt, quo qui aliorum fiunt dominii : quorum utrumque, inquit, fit mancipatione (6). Itaque, item ut servam, virginem hanc cuilibet redimere liceret, drachmas scilicet numerando pro quibus oppignerata est; quod Bacchis fieri posse declarat, nam

. . . . . Cliniam orat, sibi ut id nunc det.
(v. 44.)

---

(1) *Heaut.*, IV, 5, v. 46.
(2) Noctes atticæ, XVII, 2.
(3) Gaius, *Institut.* II, § 60.
(4) Ibid. I, § 117.
(5) *Pro Cæcina*, 34.
(6) Verbo *Emancipati.*

Quin etiam, ut serva, se ipsa virgo redimere posset, quod his verbis significatur :

. . . . Illam illi
Post daturam mille nummum.
(v. 44 et 45.)

Verumtamen eo mancipium a servitute differt quod non in perpetuum ingenuitatem amisit qui in mancipium redigitur. Quare non immerito arbitraremur ideo Chremetem, verum puellæ patrem, non recusare quin pecuniam reddat et filiam a meretrice sibi mancipari postulet, quia, ab ipso manumissa, non libertinæ fiet conditionis. Quod si aliter futurum fuisset, ne unquam ingenua esse filia sua desineret, nullum pignus esse contendisset ; nemini enim nisi ei cui patria potestas erat, jus competebat filiam, cautionis causa, alienandi. Verum ne exclamat quidem :

. . . Num illa *oppignerare* filiam
Meam me invito potuit?
(IV, 5, v. 46 et 47.)

sed solvere melius habet, potiusquam lites sectetur aut calumniator existimetur, namque, ut aiunt :

. . . « Jus summum sæpe summa est malitia. » (v. 48.)

Ista igitur omnia apta inter se et connexa sunt, modo a credito patre puella alienata sit : verum, non a patrefamilias, sed a muliere obligata dicitur. Quid ergo credendum est? Aut ignorasse Terentium mulieribus nunquam competere patriam potestatem, nec liberos suos eas mancipio dare posse, et in hac causa sui juris reputari filiam, utpote quæ nullum patrem, quem quidem

noverit, habeat? Aut hoc jus græcum esse? Verum apud Græcos non tam magnum erat parentum in liberos imperium (1), et ideo quum Romæ materfamilias filiam suam non posset oppignerare, multo minus Athenis poterat. Num igitur commenticium jus esse dicemus? Terentius autem, semper juris observantissimus, cur hoc uno loco fictum quid introduxerit, non apparet; quare illud alio modo, juri apprime consentaneo, explanare tentabimus.

Omnium primum quod a Syro de vetula narratur accuratius considerandum est. Mortuam esse anum dicit. Quid tum? Relictam esse filiam. Quid denique? Relictam arrhaboni esse (2). Si vetulæ, dum vivebat, filiam pignori obligare licuisset, eaque hanc obligavisset, prius dictum esset : pignori data est filia ; deinde : anus mortua est. Sed ne viva quidem oppignerare filiam potuisset, quippe quæ potestatem patriam non haberet. Sic igitur intelligendum est : filiam, quæ relicta est, matri heredem extitisse, vel potius, ut aiunt, ejus bonorum possessionem impetravisse, et ideo subiisse debitum (3) ; quare infra dicitur :

. . . . . Ista *debet* Bacchidi.
(*Heaut.*, IV, 5, v. 43.)

---

(1) Gaius, *Institut.* I, § 55 : « Quod jus proprium civium Romanorum est : fere enim nulli alii sunt homines, qui talem in filios suos habent potestatem, qualem nos habemus. »

(2) Ea mortua est : reliquit filiam adolescentulam :
Ea relicta huic arrhaboni est. . . . (III, 3, v. 41-42.)

(3) Ulpianus, fr. 8, Dig., de acquirenda vel omittenda hereditate, 29, 2 : « Hereditas autem quin obliget nos æri alieno, etiamsi non sit solvendo, plusquam manifestum est. »

quod aliter non explicatur, nam qui pignoris causa mancipatur, ei a quo alienatur non succedit. Creditor autem pro arrhabone virginem habuit, atque, ut Syrus ait :

Hanc secum huc abduxit. . . . .
(*Heaut.*, III, 3, v. 43.)

Etenim apud Romanos creditori licebat obæratum apud se ducere, quod Phormio testatur :

. . . . Ducent damnatum domum :
Alere nolunt hominem edacem.
(*Phorm.*, II, 2, v. 20 et 21.)

Quin etiam jure XII Tabularum poterant creditores debitorem occidere, atque ita laceratum inter se dividere (1) ; quod in desuetudinem jamdudum abiisse jocosis Phormionis verbis liquet. Non ergo contractu quodam oppignerata est, sed ipsius juris regulis arrhaboni creditori data ; non a vetula, dum vivebat, obligata, verum a defuncta heres atque debitrix relicta. Idcirco, si creditam pecuniam, Bacchidis ut gratiam iniret, solvisset ei Clinias, non mancipium emere visus esset, sed virgini novatione creditor effici : jubente enim Bacchide, quod ei debebatur sibi dari stipulatus esset. Quod si Chremes pecuniam numerat, non adolescentulam manumitti postulat, sed filiæ suæ debitum vult exstinguere ; nam etsi filiæfamilias patrem non obligant, tamen obligationem contrahere posse videntur (2).

---

(1) « Partes secanto; si plus minusve secuerunt, se fraude esto. » E Tabula III.

(2) Ulpianus, fr. 9, § 2, Dig., de senatusconsulto Macedoniano 14, 6.

Re quidem vera, neque successio neque ulla obligatio est, quum falso Corinthia anus virginis mater sit habita, verum hæc ita esse credita sunt, et hanc ob fidem Chremes argento emungetur.

Verus autem ac legitimus pignoris contractus in Phormione commemoratur, dum fallaciam hanc in senem intendit Geta :

> Ager oppositus est *pignori*
> Ob decem mnas. . . . .
> (IV, 3, v. 56 et 57.)

Mutuum quoque, in Adelphis, futurum esse dicitur inter dominum et servum recentem a manumissione :

> . . . . . Huic aliquid paulum præ manu
> Dederis, unde utatur; reddet tibi cito.
> (V, 9, v. 23 et 24).

Nihil enim impedimenti erat quin inter eos, utpote liberos, contractus quidam fieret.

In mutui autem datione, creditor usuras stipulari solebat :

> GETA. . . .Argentum deerat. — DEM. Sumeret
> Alicunde...
> . . . . . . Si nullo alio pacto, fœnore.
> (*Phorm.*, I', 1, v. 69 et s)

Cui Geta :

> Hui, dixti pulchre : si quidem quisquam crederet,
> *Te vivo.*
> (v. 72 et 73.)

Etenim, vivo patre, plerumque nihil habet filiusfamilias.

Sane quidem ei contrahere obligationem licet (1), et, Terentii tempore, nihil obstat quin ei pecunia credatur; namque senatusconsultum Macedonianum, quo vetitum est ne filiofamilias mutuo pecunia daretur, non nisi sub imperatore Claudio factum est; periculosum vero hoc fit lege Plætoria, qua puniuntur qui minores viginti quinque annis circumscripserunt (2). Ne quis autem miretur cur eam legem Geta non objiciat, animadvertendum est eum non posse fingere creditorem, ipso præsente, mutuam pecuniam dando, filiumfamilias decipere potuisse; ergo hoc tantum dicit : quia pater a filio non obligetur, eo vivo neminem voluisse credere.

(De stipulatione.) Hactenus de obligationibus quæ re contrahuntur. Verbis autem obligatio fit, ut stipulatione, aut dotis dictione. Jam in sponsalibus stipulationem, id est interrogationem et responsionem, adhiberi vidimus (3). Etenim stipulatio non est genus quoddam contractus, ut mutuum, pignus, emptio venditio, sed legitima solemnisque forma qua licita quælibet conventio jure Quiritium valebat et actione muniebatur. Ceterum, apud Terentium, nihil aliud quam memoratur stipulatio, qua, plurimis in locis, Plauti personæ utuntur (4).

(De dictione dotis.) Dictio quædam dotis in Andria est, jurisconsultis

(1) Gaius, fr. 39, Dig., de obligationibus et actionibus, 44, 7 : « Filiusfamilias... tanquam paterfamilias obligatur. »

(2) Cf. *Pseudolus*, I, 3, v. 69 et 70 :

. . . . . Lex me perdit quinavicennaria!
Metuunt credere omnes.

(3) Pag. 11 et 12 supra.

(4) Vide, exempli gratia, *Captiv*, IV, 2, v. 118; *Pœnul.*, V, 3, v. 38.

admodum nota, atque notatione dignissima; quum, Glycerio filia reperta, sic genero suo Chremes profitetur :

Dos, Pamphile, est
Decem talenta. — PAMPH. *Accipio.*
(V, 4, v. 47 et 48.)

Quamvis enim dictionem a stipulatione eo dissimilem esse sciamus, quod, nulla præcedente interrogatione, contrahitur, tamen inter recentiores juris romani interpretes dubitatio oritur : num dictionis verbis, ut ex isto loco conjicere licet, sponsum assentiri necesse sit.

Non autem cuilibet dotem dicere permissum est, quanquam dare, promittere, omnes possunt; verum, quod et supra et in Heautontimorumeno reperias (1), nihil obstat quin pater dotem dicat. Chremetem enim dictioni se accingere videmus, bonaque etiam omnia, quod lege Cincia non prohibetur (2), ne quid filio suo relinquat, filiæ dicturum esse. Cui Menedemus :

Quid dotis dicam te dixisse filiæ?
CHREMES. Duo talenta...
Sed ita dictu opust, si vis me salvum esse, et rem, et filium,
Me mea omnia bona doti dixisse illi.
(*Heaut.*, V, 1, v. 64 et s.)

Nullam quidem hoc loco dictionem fieri dicendum est, sed præparari; neque enim Menedemo, sed filio ejus ut

---

(1) Cf. Ulpianus, *Regularum* lib. VI, § 2.
(2) Paulus, in Fragmentis vaticanis, § 305.

fiat necesse est (1). Quare postea ad dotem rediens, Chremes ait Menedemo :

. . . . . Cur non accersi jubes
Filiam, et *quod dotis dixi*, firmas?
(*Heaut.*, V, 5, v. 3 et 4.)

Etenim, etsi consensit Menedemus, et *Fiat* respondendo (V, 1, v. 75), Chremetis conditione uti visus est, tamen hic nihil aliud nisi consilium quoddam fuit, quod in alterum cito mutabitur; namque, ad summam, bona omnia doti non dicet. Menedemus autem ab eo rogatur ut filium jubeat uxorem deducere, quo facto, nuptiisque perfectis, dotem, quod promisit, marito dicet : nihil enim intererat utrum sponso, an jam marito, dos diceretur (2). Quod autem ita loquitur : *Cur non firmas*? non significat necessarium esse ut patris intercedat voluntas, nam filiusfamilias, etiam invito patre, obligationem acquirere potest (3), sed revera firmabit dotem Chremes curando ut filius uxorem deducat; tanquam dixisset Menedemus : cur cogitata consiliaque nostra non curas ut effectui cedant? deducta enim uxore, quod tibi maturare licet, filio tuo dotem dicam.

De obligationibus quæ fiunt litteris, et de codice accepti et expensi mox videbimus, quum circa solutionem morabimur.

---

(1) Gaius, epitomes lib. II, 9, § 3.
(2) Id., ibid.
(3) Ulpianus, fr. 22, Dig., de solutionibus et liberationibus, 46, 3.

Denique consensu contrahuntur obligationes, ut in emptione et venditione, locatione et conductione, de quibus apud Nostrum pauca passim invenias, quum, verbi gratia, vicino confitetur senex Ἑαυτοντιμορούμενος quo pœnæ genere ipse se afficiat : (De emptione... et de locatione...)

> Ancillas, servos...
> Omnes produxi ac *vendidi*. Inscripsi illico
> Ædes *mercede*.
>
> (I, 1, v. 90 et s.)

Merces nempe vocatur quod locatori conductor solvere debet. Mandatum quoque in eadem fabula commemoratur, scilicet mandati forma quædam quæ dicitur pecuniæ credendæ : (De mandato)

> Quid mea? num mihi datum est?
> Num *jussi*? . . . . .
>
> (IV, 5, v. 15 et 16.)

Si quis enim jussisset, pecuniæ credendæ mandator exstitisset : qui fidejussori simillimus est, nisi quod ille consensu, hic verbis obligatur.

Non solum e contractu, verum etiam e delicto nascuntur obligationes, veluti si cui furtum vel injuria illata sit. De delictis.

> . . . . . Hic *furti* se adligat!
>
> (*Eun.*, IV, 7, v. 39)

Ita erumpit Gnatho, quum virginem a Chremete defendi, atque vim propulsari sentit. Furtum ait, nec immerito : namque etsi furtum est contrectatio rei, tamen servorum

liberorumque etiam hominum furtum fit (1), unde lege Fabia de plagiariis, circa Terentii ætatem lata, capitale crimen oritur si servus aut liber homo celatus sit a suppressore (2). Non autem rapinam, sed furtum proprie Chremes fecisse dicitur ; namque non vim attulit, sed, a Thrasone manu atque exercitu adhibitam, verbis depulit. Ut vero furti, sic injuriarum aut civiliter aut criminaliter agi poterat (3). Civilem actionem his verbis commemorat Phormio :

> Cedodum, en unquam *injuriarum* audisti mihi scriptam [*dicam*?
> (*Phorm.*, II, 2, v. 15.)

Etenim, sive lege XII Tabularum, sive a prætore, injuriarum pœna constituta erat pecuniaria. Per prætorem autem licebat ei qui injuriam accepisset, factum pro qualitate æstimare, ut, judicis arbitrio, aut hæc summa aut minor quædam adjudicaretur. Quod quidem non veretur Phormio, nam, ut ait, « Mihi sciunt nil esse » (v. 20).

De solutione. Tolluntur obligationes præsertim solutione ejus quod debetur, aut novatione ; quæ quum in usu sint quotidiano, earum non mireris apud Nostrum reperiri mentionem. Solutam autem esse obligationem, sive scripto sive testibus probatur :

> Hoc temere nunquam amittam ego a me, quin mihi *testes* [adhibeam
> Quum dem, et quamobrem dem commemorabo.
> (*Phorm.*, IV, 5, v. 2 et 3.)

(1) Gaius, *Institut.* III, § 199.
(2) Callistratus, fr. 6, Dig., de lege Fabia de plagiariis, 48, 15.
(3) Justiniani instilut. IV, 4, de injuriis, § 10. — Paulus, *Sentent.* V, 4, § 7.

Ita enim se facturum esse pollicetur sibi Demipho; quin etiam et scripto utitur, ut videbimus, quo res cautior sit : ridiculum, nam argento nihilominus emungitur, quod quidem Geta vaticinabatur :

. . . « Ut cautus est, ubi nihil opus est ! » (v. 3.)

Solebant autem Romani in codices digerere quæcumque ad rem familiarem pertinebant. Utebantur scilicet *adversariis* quæ quidem, quod ad jus attinet, quasi nullius erant momenti ; verum et tabulas sive codicem habebant, qui dicebatur *accepti et expensi*, in quo, scriptura quadam, sive obligationem aut solutionem commemorare, sive etiam creare aut tollere obligationem licebat. Si, verbi gratia, nulla præcedente obligatione, Titioque consentiente, in codice meo scripserim : Expensum Titio centum — hinc nascitur obligatio, non rei, non verborum, verum litterarum. Quia autem in scriptura, unde fit obligatio, vocabulum continetur *expensum*, contractus ipse, cujus scriptura causa civilis est, nomen *expensilationis* habet. Quæ quum ita sint, quum Demipho dotem, quam lege Atheniensium debebat, in foro solvit, coram testibus solvit ; quo facto, liberatus est. Tum vero, ut cautus est, in suo codice, consentiente Phormione, scripsit : Expensæ Phormioni minæ triginta (1). Quod duplici modo potest accipi : aut ut solutionis factæ mentio, aut ut obligatio litterarum, dotem scilicet restituendi si non secutæ sint nuptiæ. Testes autem, si post solutionem adfuerint scripturæ, testificabuntur non modo pecuniam solutam

(1) Cf. *Phorm.*, IV, 3, v. 56 et s.

esse, et dotis causa solutam esse, sed, consentiente Phormione, Demiphonem hæc in suo codice scripsisse ; qua in causa testes *pararii* dicuntur (1). Quum vero nuptiis renunciatur, conditione obligationis eveniente, dos repeti potest ; quare Demipho :

> . . . Transi sodes ad forum, atque illud mihi
> Argentum rursum jube *rescribi*, Phormio.
> (*Phorm.*, V, 8, v. 28 et 29.)

Tanquam dixisset : Transi ad argentarium tuum, atque per me in tuo codice jube rescribi : Expensæ Demiphoni minæ triginta. Si prior scriptura ad solutionis probationem tantum facta esset, repudio nuntiato, solutum repetiisset Demipho, nec quidquam scripturam curasset, nam nihil ad eum attinet solutionis hujus probatio. Quod si litteris nata est, rescribendo solvi potest, id est contraria scriptura, quæ priori a debitore quasi opponitur (2) ; ut autem rescribatur, creditoris voluntas interveniat necesse est. Nec solvi pecuniam postulat Demipho, nam scripturam ut præcedere sic sequi potest solutio : tum vero urbanius est de scriptura dicere ; pecunia denique non numerata, replicatione non numeratæ pecuniæ Demipho uteretur. Verumtamen Phormio neque rescribere vult, neque solvere, sed dotem indemnitatis causa servare : « Dos,

---

(1) Seneca, *de Beneficiis*, II, c. 23, et III, c. 15.
(2) Cf. Horatius, *Satir.* II, 3, v. 75-76 :
Putidius multo cerebrum est, mihi credo, Perilli,
Dictantis quod *tu* nunquam *rescribere possis*.

inquit, hic maneat. » (v. 33). Ceterum pecuniam se dissipavisse fatetur :

> . . . . Ego *discripsi* porro illis quibus debui.
> (*Phorm.*, V, 8, v. 30.)

Solvit scilicet, et aut in codice solutionem memoravit, aut, si litteris nata sit obligatio, litteris eam dissolvit.

Novatio est, exempli gratia, quum versuram faciunt ; ut in Phormione translato verbo dicitur : De novatione.

> *Versura* solves,
> Geta : præsens quod fuerat malum, in diem abiit, plagæ [crescunt.
> (V, 2, v. 15 et 16.)

Versura autem solvit qui debitum ære alieno solvit (1) : quod præsens debebatur in diem debebitur, sed gravius erit quod ad sortem plerumque usuræ accedebant.

Acquirebant autem Romani non solum per semetipsos, sed etiam per eas personas quas in sua potestate habebant, veluti per servos. Quælibet res corporalis aut incorporalis a servo quæsita, domino acquiritur. Sed moris semper fuit peculium, quasi patrimonium pusillum, ut ait Ulpianus (2), servis demandare. Stricto quidem jure, quæ in peculio sunt non desinunt domini esse, cui liberum est servi peculium vel augere, vel minuere, vel totum adimere. Interim tamen, usu atque administratione, De acquisitione per servos.

---

(1) Cf. Cicero, *Tusculan.* I, 42 : « ... illi maximam gratiam habeo, qui me ea pœna mulctaverit, quam sine mutuatione, et sine versura possem dissolvere. »

(2) Fr. 5 § 3, Dig., de peculio, 15, 1.

servus quasi peculii dominus est, nisi quod ei munera quædam certis temporibus conradebantur, ut Davus nos docet (1). Quibus autem præstitis, libere peculio utebatur, res gerebat, rationes procurabat, ut eodem loco videre est; nam de servo populari suo ita narrat Davus :

> **Erat ei de ratiuncula**
> **Jampridem apud me reliquum pauxillulum**
> **Nummorum : ... Confeci, adfero.**
> **(*Phorm.*, I, 1, v. 2 et s.)**

Poterat et se redimere, peculium scilicet domino offerendo, quod apud Plautum sæpe invenias (2); quanquam herum cogere non poterat ut ipsum manumitteret : nam, non nisi Marci Aurelii et Lucii Veri epistola, libertas in simili causa promittitur, si servus suis nummis ab aliquo redemptus sit (3).

III. — De actionibus.

Satis constat in actionibus, seu lege, seu per formulas litigaretur, quasi in duos actus litem esse distributam : primum enim apud prætorem ibant, posthac ad judicem remittebantur.

De vocando in jus. In jus, id est apud prætorem, reus vocatur, aut ducitur :

> Si vim faciet, *in jus ducito* hominem;
> (*Eun.*, IV, 6, v. 30.)

(1) ... ubi hera pepererit,
... ubi erit puero natalis dies,
Ubi initiabunt.
(*Phorm.*, I, 1 v. 13 et s.)

(2) *Aulul.*, V, 1, v. 15; *Rudens*, IV, 2, v. 21 et s.

(3) Ulpianus, fr. 4, Dig., de manumissione, 40, 1.

hæc Thais, dum, virginis causa, ædes a Thrasone obsidentur. Ducitur autem reus etiam obtorto collo, quod lex permittebat his verbis : « Si calvitur, pedemve struit, manum endo jacito » (1). In jus vocato aut rapto adversario, quo tempore quidem per formulas cœptum est agi, actor edebat actionem; quod in Phormione Geta videtur his declarare : De editione actionis.

Ego te cognatum dicam, et tibi scribam *dicam*.
(I, 2, v. 77.)

Nihil enim aliud est hoc *dicam* nisi vox græca *δίκην*: Græci nempe dicebant *δίκην γράφεσθαι*. Quod si existimet aliquis græci juris hoc esse, non romani, animadvertat apud Plautum pro prætore dicam scribi (2), et apud Nostrum sic a Phormione injuriarum actionem significari :

. . . En unquam *injuriarum* audisti mihi scriptam *dicam*?
(*Phorm.*, II, 2, v. 15)

Etsi autem editio actionis plerumque viva voce fiebat, tamen libello quoque eam facere poterant (3).

Nunc de quibusdam causis videamus, inque primis de causa liberali, quæ una est ex his actionibus quas præjudiciales vocabant. In hoc genere causæ quæritur an aliquis liber sit. Ceterum ille de cujus statu quæstio est, sive, in possessione servitutis constitutus, ad liber- De liberali causa.

---

(1) E Tabula I.
(2) Cf. *Aulul.*, IV, 10, v. 30 :
. . . Te *ad prætorem* rapiam, et tibi scribam *dicam*.
(3) Ulpianus, fr. 1, § 1, Dig., de edendo, 2, 13.

tatem proclamare velit, sive ex libertate in servitutem petatur, non potest ipse per se hoc judicio experiri, sed ei quærendus est vindex seu assertor libertatis, qui liberale judicium suscipiat. Ita, in Adelphis, assertorem agit Æschinus :

. . . . . Ego *liberali* illam adsero *causa* manu (1).
(II, 1, v. 40.)

Hoc ultimo vocabulo alluditur ad formam agendi. Ut enim in mancipatione, aut quum in jure ceditur, sic in hac actione, mea quidem sententia, assertor hominem manu tenebat, dicendo eum liberum esse : nempe eum in libertatem vindicabat; porro in vindicatione, antiquis temporibus, actor, quum legitima verba nuncuparet, rem aut hominem apprehendebat (2). Verumtamen pro necessariis tantum personis de libertate litigare conceditur (3); quare videtur Æschinus, virgini utpote extraneus, juvenili quodam impetu præter jus actionem minitari.

Propter hoc oportebat ut libertatem aliquis assereret, quod servus in jure stare non potest : incertum enim an ille servus non sit cujus de libertate agitur. Servos autem quanquam poetas fuisse aut grammaticos refertur, causidicos non reperias, nam, ut Geta loquitur :

Servum hominem *causam orare* leges non sinunt
(*Phorm.*, II, 1, v. 62.)

---

(1) Cf. Plautus, *Pœnul.* V, 2, v. 142 :
Manuque liberali causa ambas asseras.

(2) Gaius, *Institut.* IV, § 16.

(3) Gaius, fr. 6, Dig., de liberali causa, 40, 12.

Quin etiam, servis

> Neque *testimoni dictio* est (1) . . .
> (*Ibid.*, v. 63.)

Ergo non potuissent Glycerii servæ de partu testimonium perhibere : quamobrem ex his una lætatur

> Quum in pariundo aliquot adfuerunt *liberæ.*
> (*Andr.*, IV, 4, v 32.)

In quibusdam causis, inter quas numerantur jurgia de finibus, a prætore arbitri dabantur; sed et arbiter est ex compromisso sumptus judex, quem Græci dicunt *αἱρετὸν δικαστήν.* Hoc genus in Heautontimorumeno memoratum invenias. Sic enim Chremes : De arbitris.

> Simus et Crito,
> Vicini nostri, hic ambigunt de finibus;
> Me *cepere arbitrum.*
> (III, 1, 89-91.)

Quum vero nullam habeat propriam vel delegatam jurisdictionem, sed electus a litigantibus eorum voluntate de causa cognoscat, etiamsi non sit feriatus dies in quem comperendinatio fuit, neque rei suæ familiaris periculum immineat (2), rem procrastinare, si vel paulum sibi negotii obstet, minime prohibetur : « Ibo, » inquit,

> . . . . Ibo ac dicam, ut dixeram
> Operam daturum me, hodie non posse iis dare.
> (*Ibid.*, 91-92.)

---

(1) Modestinus, fr. 58, Dig., de testibus, 22, 5. — Cf. Plautus, *Curcul.* V, 2, v. 25 : « Servum antestari! vide. »
(2) Cf. Ulpianus, fr. 18 pr., Dig., de judiciis, 5, 1.

De onere probandi.

Denique, apud Nostrum tria supersunt, quæ, quum poetam juris observantissimum atque haud imperitum declarant, tum auditores non nisi jure exercitatos oblectare poterant. Jam illud a principio firmissimum juris præceptum est, prius actori probationis onus incumbere : « actore enim non probante, reus obtinebit » (1). Itaque patronus ridicule faceret, si qua hujus regulæ ignorantia, aut certe oblivione, laberetur. Qua de causa, ut videtur, jocosum satis ac facetum putavit Terentius, in ea culpa malevolum veterem poetam deprehendere :

> . . . In Thesauro scripsit : *causam dicere*
> *Prius*, unde petitur, aurum quare sit suum,
> Quam ille qui petit, unde is sit thesaurus sibi,
> Aut unde in patrium monumentum pervenerit.
> (*Eun.*, prolog. v. 10-13.)

Mirabilis hercle, nobis quidem, diligentia! Quis enim hæc apud nos, non dico in scenam inducere, verum in præfatione scribere auderet, nisi forte inter causidicos fabula esset agenda? Romanis autem, quidquid juris erat, non modo non ignorandum, sed quasi domesticum atque, ut ita dicam, sanctum videbatur. Unde fit ut Terentius de jure patrio nihil immutare ausus sit. Molierus vero, multa cum libertate, notissima quæque convertere non dubitat : nam, quæ non nisi pro sacerdote poterant celebrari nuptiæ, eas dotali instrumento

---

(1) L. 4, imp. Antonini, Cod., *de edendo*, 2, 1.

conficit, quo subscripto, nihil, Molieri quidem jure, matrimonio deest (1).

Rursus, in Eunucho, his Chereæ verbis : **De interdictis.**

> . . . . Hanc tu mihi, *vel vi*, *vel clam*, *vel precario*
> Fac tradas, . . .
>
> (II, 3, v. 28 et 29.)

prætoris edicto alluditur. Etenim pro suo imperio, ut civitatis quieti prospiceret, poterat magistratus, civili jure silente, de quibusdam futuris controversiis certam regulam constitituere, quam vocabant interdictum. In albo autem interdicta proponebantur, quale est UTRUBI quod ad possessionem mobilium pertinebat : prætor enim eum potiorem fore pollicebatur qui majore parte anni nec vi, nec clam, nec precario ab adversario possedisset (2). Itaque romanis auditoribus lepide videbatur dixisse Cherea, se nihil pensi habere, dummodo virgine potiretur, si adversus ipsa edicti verba faceret.

Postremo, ut Molierus noster medicos, sic Terentius **De restitutione in integrum.** in scenam patronos inducit rem consultantes. Mani-

---

(1) *L'amour médecin*, acte III, scène 6 : LUCINDE. Faisons donc le contrat, *afin que rien n'y manque*.

Scène 9 : SGANARELLE. Où donc est ma fille et le médecin? — LISETTE. Ils sont allés achever le reste du mariage. — SGANARELLE. Comment, le mariage? — LISETTE. Ma foi, monsieur, la bécasse est bridée, et vous avez cru faire un jeu, qui demeure une vérité.

(2) « *Utrubi hic homo*, *quo de agitur*, majore parte hujusce anni fuit : quominus is eum ducat, vim fieri veto; » l. 1, pr., Dig., de utrubi, 43, 31. — « Quod vi aut clam factum est... restituas; » l. 1 pr., Dig., 43, 24. — « Quod precario ab illo habes.... id illi restituas; » l. 1 pr., Dig., 43, 26.

festissimi quidem juris est bis de eadem re non esse actionem (1), quod juris prudentissimus, ut scimus, Phormio Demiphoni respondet :

> . . . . . Magistratus adi (2),
> *Judicium de eadem causa* iterum ut reddant tibi:
> Quandoquidem solus regnas, et soli licet
> Hic *de eadem causa bis judicium apiscier.*
> (*Phorm* , II, 3, v. 56 et s.)

Sed minoribus viginti quinque annis, quoties in aliquo capti sunt quod ipsorum intersit, per restitutionem in integrum subvenitur (3). Prætor enim, auctoritate sua, quod gestum est pro infecto habet :

> Quod te absente hic filius
> Egit, *restitui in integrum æquum est ac bonum,*
> Et id impetrabis.
> (*Phorm.*, II, 4, v. 10 et s.)

Hæc Cratinus, idque verum videtur, et æquitati congruens; nam, in judiciis quoque (4), et filiisfamiliarum (5), et plenius quam lege Plætoria (6), succur-

---

(1) Quintilianus, *Instit. orator*. VII, vi, 4.

(2) Si quis quæsierit qui sint isti magistratus simul et judices, decemviros litibus judicandis fuisse crediderim, nam Pomponius eos magistratus appellat (fr. 2, § 29, Dig., de origine juris, 1, 2), et judices eos esse vel nomen ipse docet, vel quod Terentius hoc loco (v. 57, et 52-53) et alibi (I, 2, v. 79, et II, 1, v. 52) declarat.

(3) Ulpianus, fr. 1, § 1, Dig., de minoribus XXV annis, 4, 4 : « Prætor edicit : *Quod cum minore quam viginti quinque annis natu gestum esse dicetur, ut quæque res erit, animadvertam.* »

(4) Ulpianus, fr. 7, § 4, ibid.

(5) Id., fr. 3, § 4, ibid.

(6) Vide supra, p. 34.

ritur : in omnibus scilicet, non solummodo quum circumscripti sunt, sed etiam quando sola ætatis suæ infirmitate lapsi sunt, quod Antiphoni accidisse dicitur (1). Cratinum ergo bonum atque prudentem existimabimus. Quid Hegionem? Gloriosum, indoctum, pervicacem ; non enim prior respondere voluit, ut quæ ab aliis dicerentur improbare posset; idemque juri prætorio simul et æquitati repugnantem sententiam pronuntiat (2). Critonem denique animi dubium et fluctuantem inducit Terentius (3), aut certe cautum atque argutulum; ut ex his unum esse crediderim, qui cavillati sunt filiisfamilias non posse succurri : quippe quod per eos patribus subveniretur, prætorem nempe auxilium minoribus promisisse, non majoribus (4).

Nunc demum nobis exploratum est de juris præceptis institutisque quorum mentionem habent Terentii comœdiæ. Romanum autem jus secutum esse Terentium liquet, græcum raro attigisse, ficticium nunquam commentum esse. Patria scilicet ac domestica jura, auditoribus utpote notissima, alienis

---

(1) *Phorm.*, II, 1, v. 52 et s. :

Postquam ad judices
Ventum est, non potuit cogitata proloqui,
Ita eum timidum ibi obstupefecit pudor.

(2) *Ibid.*, 4, v. 15-16 :

Mihi non videtur, quod sit factum legibus,
Rescindi posse : et turpe inceptu est.

(3) *Ibid.*, v. 16-17:

Ego amplius deliberandum censeo :
Res magna est.

(4) Cf. Ulpianus, fr. 3, § 4, Dig., 4, 4.

anteposuit legibus, quas, et in fabula quæ tota græca est, silere jussit, nisi tamen aut e græca quadam lege tota res pendeat, ut in Phormione (1), aut lex adeo nota sit ac pervulgata ut eam plerique non ignorent (2). Ergo, quod ad jus attinet, Græcorum vestigiis timidius institisse non arguetur Terentius, nam quæ græca apud Menandrum aut Apollodorum invenit, romana fecit, non verborum tantummodo elegantia et proprietate, sed etiam morum atque institutorum veritate. Unde non injuria colligere queas : poetam, qui vel in legum ambagibus ita expedite versetur ut, relictis græcis exemplaribus, ex se pleraque efferat, in multis, quæ nos fugiunt, multa excogitare potuisse. Nam etsi in uno aut altero prologo, ex integra græca integram comœdiam (3) se fecisse fatetur, tamen non verbum e verbo eum expressisse, sed multa ad romanam consuetudinem informavisse, atque in forum romanum palliatos induxisse vidimus.

(1) Vide supra, p. 21.
(2) Supra, p. 17.
(3) *Heaut.*, v. 4; cf. *Eun.*, v. 19 et 20.

Vidi ac perlegi :
Lutetiæ Parisiorum in Sorbona, a. d. XIX Kal. febr. an. MDCCCLXXVIII.
Facultatis Litter. in Acad. Paris. Decanus,
H. WALLON.

Typis mandetur :
Academiæ Parisiensis rector,
A. MOURIER.

INDEX

De personis.

De libertinis 2
De servis 5
De filiisfamiliarum 6
De nuptiis 9
De affinitate 24
De divortio 25
De adoptione 26

De rebus.

De jure hereditatis 27
De contractibus 28
De delictis 37
De solutione 38
De novatione . . . . } 41
De acquisitione per servos . . . . } 41

De actionibus.

De vocando in jus 42
De editione actionis . . . . } 43
De liberali causa . . . . } 43
De arbitris 45
Actori incumbere onus probandi 46
De interdictis . . . . } 47
De restitutione in integrum . . . . } 47

Lutetiæ Parisiorum, typis E. DONNAUD, via Cassette, IX.